



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

131. An reum à Fidei Quæsitibus publice damnatum liceat ubique
locorum manifestare? Et notatur, quod hoc non est peccatum neque
contra iustitiam, neque contra charitatem, neque contra ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. CXXX.

An Inquisitores penas pecuniarias imponere possint, sed non sibi applicare explicatur?

Et observatur, quod Inquisitores Italiae ex speciali Decreto Sacrae Congregationis Eminentissimorum Card. Superiorum Inquisitorum non possunt huiusmodi penas pecuniarias condemnare, nisi consultata eadem Congregatione, in uno casu particulari, quae praecipere solet Inquisitoribus, quid postea dato casu, agere debeant de illis pecuniis.

Et notatur, quod ubi Inquisitores Italiae condemnationes pecuniarias faciunt, de his reddere rationem tenentur Supremo Romanae urbis Tribunali: Ex p. 10. tract. 8. Ref. 6.

S. 1. Nota tamen hic obiter etiam Dominos Inquisitores posse Reis imponere poenam pecuniariam, sed non sibi applicare, ut notant Doctores, quos citat, & sequitur Soufa in *aphor. Inquis. lib. 3. c. 28. num. 2.* & Farinacius de *heresi, quest. 193. §. 6. num. 120.* nam in hoc, pari passu procedunt cum Episcopis, ut observat Zanchinus de *hereticis, cap. 16. num. 3.* & ibi Camillus Campegius in *addit. litt. A.* In uno tamen

visu est per tot. tract. 4. tom. 9. lege ibi illum; sed ista res. ex illo hic est apposta ut in proprii suo loco.

invenio inter illos discrepare; nam Episcopi, ut visum est, non possunt, neque Ecclesiae, neque Sacristiae, neque Ministris poenas pecuniarias applicare; Inquisitores vero possunt illas pro necessitatibus Officij Inquisitionis impendere. Immo licet Carreus tract. de *hereticis, num. 79.* scripserit non alias esse poenas pecuniarias Sacro Inquisitionis Officio applicandas, quam si necessitas id fieri exigat; non tamen est putandum extremam necessitatem esse expectandam, sed quaecunque praefens vel etiam futura sufficit: nam opportunum est, & fidei Catholicae valde expedit, Inquisitionis Officium pecuniis abundare, ut quoties oportuerit, absque incommodo Cruce signatorum seu Familiarium haereticorum fiat inquisitio, captura, deductio, & punitio. Et ita docet Pegna in *direct. part. 3. comm. 152.* Burtatus *conf. 90. num. 18.* Farinacius ubi *supra*, & Salzedus in *Pract. crim. Ignatij Lopez cap. 142. litt. A.* ubi sic sit: Poenae vero applicandae sunt visibus piis, & sanctae Inquisitionis Officio, quia nulla causa magis pia, & favorabilis esse potest, quam causa Inquisitionis, cujus maximo, & singulari beneficio haereses extirpantur, & illa summa ratio est, quae pro Religione facit leg. *sunt personae ff. de Relig. & sumpt. funer.* Nec amplectenda est Ludou. Carreij opinio asseverantis, non alias poenas pecuniarias Sancto Officio applicandas esse, quam si necessitas urgeat, quia seclusa necessitate id fieri potest, quia utilissimum est (ne dicam necessarium) Sanctum Inquisitionis Officium pecuniis abundare, ut quoties oportuerit sine Familiarium, & Ministrorum incommodo fiat haereticorum Inquisitio, captura, & alia multa, quae fieri contingunt. Ita Salzedus. Sed haec vera sunt, & procedunt de iure: nam, ut observat Carena, tract. de *Officio S. Inquisit. p. 3. tit. 13. §. 8. num. 81.* nunc Inquisitores Italiae ex speciali decreto Sacrae Congregationis Eminentissimorum Dominorum Cardinalium Superiorum Inquisitorum non possunt huiusmodi poenis pecuniariis Reos damnare, nisi consultata eadem Sacra Congregatione in unoquoque casu particulari, quae praecipere solet Inquisitoribus quid postea agere debeant de illis pecuniis. Et idem Carena in *Adnotationib. ad Guidonem Falconium, q. 3. num. 7.* notat etiam, quod ubi Inquisitores Italiae condemnationes pecuniarias faciunt, de eis reddere rationem tenentur Supremo Romanae Urbis Tribunali. Sed nos in Inquisitione

Hispanica observamus id quod licitum est per Privilegia Apostolica, & per aliquas Chartas acordadas, ut vocant in nostro Sacro, & Supremo Consilio Inquisitionis Castellae.

RESOL. CXXXI.

An reum à fidei questionibus publice damnatum liceat ubique locorum manifestare?

Et notatur, quod hoc non est peccatum neque contra iustitiam, neque contra charitatem, neque contra misericordiam, seculsa prava intentione.

Et docetur omnia crimina cuiuslibet persone, si sua publica sive ex iudicis sententia, sive ex notorietate facti posse absque ulla peccato vulgari in quibuscumque locis. Ex parte 10. tractatu 12. & Mile. 2. Ref. 5.

S. 1. Negativè posset aliquis respondere & adducere Doctores, quos ego citavi in p. 3. tract. 5. resol. 17. asserentes, illicitum esse evulgare crimina publica in loco distantissimo, in quo potius notitia occulta remaneret. Quia licet ius amiserit quis ad bonam famam, & parum illam curaverit in isto loco, in quo crimen commisit: tamen non amisit illud in alio: imò, quamvis tam in isto, quam in alio ius amiserit ad bonam famam, adhuc non amisit possessionem illius: possidet enim bonam famam in alio loco sine injuria alicujus: ac proinde est iustus possessor, & sic saltem erit peccatum mortale illum alibi contra ius possessione sua privare. Itaque in casu nostro proximus fuit locus in re magni momenti, quod merito ageretur, ut fieri mihi fieri. Nec refert, quod ille ius ad famam non habuerit: quia sine cuiusquam injuria, & absque fraude eam possidebat, eaque adhuc diu fuisset fructus: ergo contra Charitatem est, illum spoliare bono nomine. Vnde Villabos in *summa, tom. 2. tract. 11. diff. 36. num. 13.* sic asserit: Quando uno est infamatus in unum locum per sententiam publicam, et qui in otro lugar (aunque sea apartado) declara a quel delito, è infamia, no pecca contra iusticia, y por el consiguiente no està obligado a restituirla. Dixit in la concusión, que no pecca contra iusticia, porque como dize Soto, es peccado contra caridad, mayormente si èstuviese emendado, y tuviese ya buen nombre, porque la buena fama es muy gran ayuda, para que los hombres vivan bien, que sin ella se desaniman: Ita ille. Imò plus addit Philippus Fabrus de *restit. in 4. sent. disp. 15. q. 3. disp. 53. n. 130. cum seqq.* nempe in tali caso, non solum adesse peccatum contra Charitatem, sed etiam contra iustitiam.

2^o Verum his non obstantibus, ego puto affirmativam sententiam tenendam esse & in tali casu non adesse peccatum, neque contra iustitiam, neque contra Charitatem. Et ratio est, quia nunquam satis laudatus Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo, tom. 1. de *Iust. disp. 14. sect. 6. n. 72.* & alij rectè obliant, quod sententia publica executioni mandata, hoc ius videtur tribuere omnibus, ut possint eas obliant publicare. Nam Index ipse, qui sententiam promulget, possit utique eam licite non solum in eo loco, sed in quolibet alio publicare: potuisset enim eam ad maiorem, & faciliorem publicationem typis impressam jorem, & in locis publicis affigere, ac ad alia promulgare, & in locis publicis consistere: imò omnia loca transmittere, ut omnibus constaret: imò hoc videtur in eiusmodi sententiarum prolatione intendere, ut quantum fieri potest, publicetur, & ad hanc finem eligi solent dies, & loca, in quibus major, & solemnior hominum concursus esse solet, ut magis ac magis publicetur; hanc autem potestatem, quam ipse

habet, videtur omnibus communicare, ut omnes, quae velint, & possint, cooperentur ad sententiae publicationem; unde si aliquis privatus veller sententiam illam typis cadere suis expensis, & ad alia loca transmitti, nullo modo à Iudice impediretur, sed laudaretur. Habent ergo saltem ex voluntate Iudicis omnes & singuli facultatem publicandi delictum, & poenam illam: nam sicut Iudex possit per se ipsum id facere, sic potest hanc suam facultatem aliis communicare: sicut potest committere facultatem auferendi bona, vel vitam reo legitime in iis damnato. Omnes ergo utuntur jure suo, & facultate sibi data à potente eam dare, ad laudandam famam proximi, & publicandum ejus delictum.

3. Itaque optime docuit Banez in 2.2. *Divi Thoma, quest. 73. artic. 2. conclus. 3.* quod qui condemnatus est propter aliquod delictum, est privatus jure famae: ergo non fit ei injuria tollendo ab illo famam, confirmatur: praecipua pars poenae illius hominis est, quod sit privatus fama: ergo non fit illi injuria. Confirmatur secundò: licet Iudici expectare diem solemnem quando est concursus populorum ad puniendum hominem: ergo praecipua pars poenae illius hominis est infamia. Deinde dupliciter aliquis potest hominem infamare, vel narrando crimen falsum, vel revelando crimen verum, sed occultum: sed in tali casu non narratur crimen falsum, ita enim supponimus, nec occultum revelatur, cum sit infamia in uno loco: ergo. Unde ex his infero pro casu nostro, hanc doctrinam locum habere etiam infamia juris ex publica sententia redundet consequenter in alios ab ipso reo. Nam sicut Iudex ipse, non obstante detrimento illo, quod in aliorum famam redundat, potest sententiam suam publicare, & evulgare: sic potest aliis dare hanc facultatem, & de facto videtur illam potestatem concedere, quando sententiam publice promulgat: atque ideo alij jure suo, & facultate legitime concessa utuntur, quando eidem publicationi cooperantur, licet cognati delinquentis consequenter aliquam laesionem in propria existimatione, & fama patiantur. Inferitur etiam, quod sicut licitum est ob praedictam rationem sententiam illam in aliis locis referre, in quibus non erat ejus notitia; sit etiam licitum videri id facere in alio tempore, in quo propter distantiam, vel oblivionem, sententiae memoria jam non erat. Quia facultas legitime ex sententia publica adhuc irrevocata perseverat.

4. Nec solum ex supradictis apparet manifestationem delicti, de qua agimus, non fuisse peccatum contra iustitiam, neque etiam contra Charitatem: nam, ut bene firmat Pater Gaspar Hurtadus, de *Iust. disp. 12. diff. 7.* si esset peccatum contra Charitatem, esset peccatum commissionis, & non omissionis, ut patet; commissionis autem esse nequit, quia contra charitatem nequit esse peccatum commissionis, nisi sit actus odij, dicta autem manifestatio non est odium contra Deum, ut patet; nec contra defectuosum, quia eius defectus potest manifestari absque displicentia erga illum, in qua sola odium consistit. Itaque in nostro casu, neque praecepto affirmativo Charitatis tenetur quis bonum nomen talis illic curare, quandoquidem potestas publica per sententiam vult contrarium, neque talem illic infamare erit verum odium contra negativum praeceptum charitatis de non afferendo malum proximo. Nam licet quis se conformabit voluntati Iudicis, qui propter commune bonum ex punitione redundare solitum, absque odio pugnantem cum charitate, voluerunt per publicam sententiam, talem hominem incurrere malum infamiae. Et ita praeter Hurtadum etiam docet Magister Serra ubi infra. Quae omnia sunt adeo vera, ut ego existimem

cum Gaspare Hurtado, ubi supra, manifestationem, seu commemorationem defectus in alio tempore publici, cujus jam nulla extat memoria, non esse peccatum contra iustitiam, quamvis defectus emendatione, aut aliter fuerit abolitus, quia in tempore illo fuit defectuosus publicus, non habens nunc jus, ut nunc non existimatur fuisse defectuosus in illo tempore; quia ex una parte jus illud amisit, & ex altera illud non recuperavit, etiam si emendatione criminis, vel abolitione alterius defectus habeat ius, ut non existimetur esse defectuosus tempore emendae, aut abolitionis. Imò addimus, eam manifestationem, seu commemorationem non esse peccatum contra charitatem ob rationem supra adductam, quia scilicet illa non est odium Dei, nec illius, cuius defectus antiqui sit commemoratio, nec proinde video esse contra misericordiam.

5. Neque adversus superius dicta obstat asserere cum Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 17. par. 2.* Turriano in 2.2. *tom. 2. disp. 53. dub. 10. num. 6.* & aliis procedere non absolute de quibuscumque locis simpliciter, sed de illis tantum, ad quae moraliter, attentis omnibus circumstantiis negotij, personarum, &c. potest perfecti tumor criminis alterius ex vi sententiae latae: In illis enim determinatis locis intelligendum est, publicam potestatem velle reum privare fama, in aliis autem non item; quia tantum vult publica potestas illud, quod moraliter solet fieri, (aliud namque vellet frustra) & ideo tantum in illis locis privat moraliter fama. Imò plus addunt aliqui, quod sententia v. g. lata in Castella, poenam infamiae solum proprie generat in Regno Castellae non in Aragonia, aut Lusitania, quamvis enim sententia lata sit ab eo Iudice, qui non solum Rex est Castellae, sed Aragoniae & Lusitaniae (quod per accidens contingit) tamen constitutus non est à Rege, ut Rege Aragoniae, vel Lusitaniae; sed ut Rege Castellae; Quae iurisdictio ultra Castellam non egreditur. Ergo in casu nostro videtur Doctorem Velasum per sententiam Iudicis non amisisse ius ad famam per totum mundum, sed tantum per illas Regiones, ad quas, moraliter loquendo, fama suae condemnationis pervenire poterat. Respondeo quicquid sit de veritate huius opinionis, puto nihil officere pro casu nostro, in quo fama delicti Doctoris Velaschi per totum Orbem extenditur, cum fuerit damnatus per sententiam Dominorum Inquisitorum; Et ideo non desinam hic apponere verba Sapientissimi, & amicissimi Patris Dicastillo, de *iust. lib. 2. tract. 2. disp. 12. par. 3. dub. 19. num. 314. & 316.* ubi sic asserit: Quando quis per sententiam Iudicis est spoliatus fama sua publice, non est peccatum mortale contra charitatem, neque contra iustitiam eius delictum revelare, saltem in omnibus locis, ad quae leges, & iura ejus Provinciae, in qua est locus, in quo lata est sententia, se extendunt, & hac ratione ut minimum intelligendos puto Auctores, qui dicunt, spoliatum fama per sententiam alibi infamare, non esse peccatum contra iustitiam, imò in hoc casu, puto neque charitatem, seclusa prava intentione. Unde ex hac doctrina. Ego colligerem, damnatos ad infamiam propter peccatum haereticum, cum damnentur à Quæstoribus fidei autoritate immediata, vel mediate derivata à Pontifice, qui totius Orbis, id est Ecclesiae per illum diffusa caput est, eam infamiam ad totum Orbem se extendere. Ita Dicastillus, qui mirifice facit pro casu nostro, & autoritate Dominorum Inquisitorum. Vide etiam Dominicum Banez in 2.2. *D. Thoma, quest. 73. artic. 2. dub. ult. conclus. 2.* ita aientem? Insignia quaedam crimina, & illustra, ita poenas illis impositas licet narrare ubique locorum, etiam si verosimiliter credatur, quod eorum notitia ad illa loca non perveniet; siue qui delinquant, jure

jure privati sint fama, siue non. Exempla sint acta, quæ fiunt ab Inquisitoribus: Hæc enim licet divulgare usque ad Indos. Item omnia illa, quæ memò in Historicis scripturis referuntur. Probatur hæc conclusio Primò: Narrare in alio loco huiusmodi peccata idè est malum, quia ex hac narratione nullum sequitur emolumentum, vel Reipublicæ, vel particulari Personæ: sed ex narratione horum criminum, de quibus loquitur conclusio, sequitur magnum emolumentum Reipublicæ, & particularibus personis: ergo. Probatur Minor: Nam Reipublica, quando audit talia crimina, & pœnas illis imposita; sibi consulit, & similibus pœnis similia peccata punit. Item Cives particulares timore pœnæ deterrentur ab huiusmodi vitiis: ergo. Hæc omnia Banez; & post illum ibidem Magister Serra: Et ne deferas recognoscere etiam Molinam Theologum, de Iust. tractat. 4. disp. 33. conclus. 3.

Quæ nunc est
in fo. 8. tr. 7.
ref. 67. & ibi
lege doct.
ref. 68.

6. Sed ego cum Fagundez Lusitano, & aliis Doctoribus, olim, ubi suprà in 3. par. tract. 1. Miscell. resol. 17. absolute docui, omnia crimina in quibuscumque locis, si sint publica, siue ex Iudicis sententia, siue ex notoritate facti, posse absque ullo peccato evulgari. Et hanc sententiam postea, me citato, amplexus est doctus Magister Serra in 2. 2. D. Thomæ, tom. 2. q. 73. art. 2. & me citato, & Machiæ, de Perfecto Confess. tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 23. docum. 2. num. 12. cuius verba hæc sunt: [Fagundez, y otros Autores enseñan absolutamente, que no es pecado mortal, ni contra caridad, ni contra justicia descubrir el crimen del Proximo, come sea notorio de hecho, o de Derecho: esto es por los rumores, o fama publica, o por sentencia del juez, o bien aquella fama en breve huviere de llegar, o no allegar, y entre las personas que se ignorava; porque en tal caso el que comierio el delito notorio en la forma dicha, es visto aver renunciado el derecho, que a su fama tenia; y así no puede ser damnificado en ella.] Ita ille, & iterum ego; quia eo ipso, quod quis est publice damnatus, & punitus de aliquo crimine; videtur in pœnam ejus criminis concessum diffundere eam notitiam absque exceptione aliqua: ut rectè notat etiam Molina, ubi suprà. Ergo, &c.

7. Restat modò respondere ad auctoritatem Doctorum, ubi suprà asserentium, non esse licitum propagare delictum in loco, ubi ejus fama non erat de facili perventura. Et ad fundamentum hujus sententiæ superius adductum respondeo, Reum non esse justum possessorem illius bonæ famæ in alio loco, quia possidet illam sive jure; si enim amisit jus per publicitatem rumoris, cui ipse causam dedit, committendo crimen; quomodò jure illud possidebit? Deinde, quamvis possideat bonam famam sine injuria, & incommodo aliorum in alio loco; tamen illa potest privari sine ullo peccato: fama enim est bona multorum opinio, absolute loquendo, non in isto, neque in alio loco, nam abstrahit à loco: & sic amissa bona fama, & opinio, ubicumque illa amissa sit jam absolute non habet famam, nec illam possidet justè, ac proinde absolute publicari potest malus. Respondeo Secundo, etiam stando in opinione horum Doctorum, illam non ob stare in casu nostro. Primò, quia limitatur in criminibus Reipublicæ multum noxiis; ista enim etiam emendata, possunt evulgari; & ita docet Malderus de just. tract. 7. cap. 1. dub. 6. in fine. Lessius lib. 2. cap. 11. dub. 13. num. 80. Trullench in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 10. dub. 12. num. 16. & Alij. Secundo limitatur hæc opinio nisi ex aliqua justa causa illa crimina manifesta rentur; ita Lessius ubi suprà, num. 79. in fine. Banez loco cit. Ioannes Vvigers de Iust. & Jure, tract. 4. cap. 1. dub. 5. n. 22. cum alijs.

RESOL. CXXXII.

An Inquisitores si sint Regulares, & delinquant non in eis, qua sunt Officij Inquisitionis, possint puniri à suis Prelatis?
Et quid, si delinquant in his, qua sunt Officij Inquisitionis?
Exp. 4. tr. 8. Ref. 53.

§. 1. Si delinquant in his quæ sunt officij Inquisitionis, certum est non esse puniendos à suis Prelatis, ut docet Peirinus in privi. Minim. tom. 1. consil. 4. Sixti IV. §. 11. num. 49. Pegna in direct. Inquis. part. 3. quest. 21. comment. 61. Sed à Cardinalibus universalis Inquisitionis, & in Hispania à Generali Inquisitore. Ratio est, quia Inquisitores in his quæ ad Inquisitionis officium pertinent, sunt exempti à suis Prelatis Regularibus, ut probat Rojas de heret. part. 2. num. 418. Decian. in tract. crim. lib. 5. cap. 22. num. 33. Molcovius de majest. militan. Eccles. lib. 1. part. 1. cap. 11. & consil. Alexandri IV.

2. Sed difficultas est, an possint coëteri & puniri si extra suum officium delinquant? & affirmativam sententiam docent, ut Sanctarellus de heresi, cap. 40. dub. 1. n. 7. Zanardus in direct. Theol. part. 2. c. 6. q. 43. & alij communiter. Verum licet Inquisitores teneantur parere suis superioribus Regularibus in his, quæ sunt ad regulæ observantiâ & alia, per quæ directè, vel indirectè sanctum Officium non impeditur, & propterea in delictis extra Officium per eosdem Superiores moneri & reprehendi possunt. Non tamen concedendum est quoddam Superiores possint eos punire, & consequenter ab eorum officio per indirectum retrahere, sed bene poterunt assumere informationes, illasque ad supremum Cardinalium Tribunal transmittere, expectantes quid sibi ab eodem Tribunali supremo mandetur, aliàs esset inventa aperta via impediendi Officium Inquisitionis per indirectum. Et ita hanc sententiam tenet & docet Farinacius de heresi, quest. 136. num. 128. Igitur dicendum est non solum Inquisitores Regulares delinquentes in proprio Officio, sed nec delinquentes extra posse à suis Superioribus puniri, pœna, inquam, quæ aliquo modo retardare possit proprii Officij exercitium, & sic cum Farinacio novissimè tenet Ferdinandus de Castro in oper. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12 §. 2. n. 23.

RESOL. CXXXIII.

An Inquisitores incurrant excommunicationem, si extorqueant pecuniam prætextu Officij Inquisitionis? Exp. 4. tr. 8. Ref. 58.

§. 1. Affirmativè respondet ex Clement. 2. de heret. Suarez de cens. disp. 23. sect. 5. n. 24. & DD. quos citat & sequitur Sanctarell. tract. de heresi, cap. 40. dub. 5. num. 26. qui tamen observat alios contrariam sententiam docere, & multas pro eorum firmitate sententia adducit rationes probantes in d. Clement. 1. non comprehendi Inquisitores.

2. Verum stando in sententia affirmativa, puto cum Bonacina tom. 3. disp. 2. quest. 10. punct. 10. Primò non affici excommunicatione istius Clement. Inquisitores, qui pecuniam à sponte dante accipiunt, etiam vi rem, qui pecuniam à sponte dante accipiunt, hic enim deat sibi dari prætextu Officij Inquisitionis, hic enim sic accipiens pecuniam non dicitur illam extorquere, ut vult textus. Secundo Inquisitor qui pecuniam ut vult textus. Secundo Inquisitor qui pecuniam prætextu pecuniæ mutuo datæ, vel alterius crediti, vel alio titulo etiam injusto sibi tradi curat, non incidit in istam